

Tit. III.

De Usurpationibus & Usucapionibus.

§. 1. *Usucapio* est adjectio (vel adeptio) Domini (sc. veri & pleni, contra quod non datur restitutio ex cap. ignorantia) per continuationem possessionis tempore lege definito. Coincidit hodie cum *Præscriptione* in genere sumtâ, quâ quis Dominium rei à non Domino b.f. & iusto titulo acceptæ per continuam possessionem acquirit, ut

Præscriptio 1. longi temporis, 2. longissimi temporis qualitativa, 3. immemorialis.

§. 2. Differt à *Præscriptione in specie*, quæ est modus elidendi jus alienum illud, quo alter contra eum, à quo petit, negligenter per tempus lege definitum non fuit usus, imo uti debuisset & potuisset. Ut

1. *Præscriptio*, qua solus lapsus temporis & negligentia alterius attenditur. 40. ann. absque fide.

2. *Aliæ Præscriptiones temporales.*

§. 3. *Usurpationis* not. 1. *Subiectum*. 2. *Objectum*. 3. *Forma*. 4. *Species*.
5. *Contraria*.

1. *Subiectum*: *Usucapit*, qui *Dominium* acquirere potest.

Servus non potest *usucapere* pro se. Sed domino ignorantem ex causa peculiari *usucapit*.

Filius saltem quoad *castrensia*, & *adventitia* sibi, quoad cætera patri, *usucapit*.

etiam *Pupillus*, sine tutore possidere incipiens.

Furiosus saltem quod ante *furorem* cœpit, aliàs ne quidem *Curatore* autore.

Ipsa vel *alio* meo nomine mihi *usucapere* potest, v.g. *Procurator* si sciam.